Schmieg, Joseph

Würzburg

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
SYMPTOMATIBVS FEBRILIBVS.

QVAM
EX VNAMIMI CONSENSV FACVLTATIS
MEDICAE
CVM
ADIVNCTIS COROLLARIIS
PRAESIDE
ILLVSTRI, CLARISSIMO, DOCTISSIMO, CONSVLTISSIMO, ET EXPERTISSIMO
VIRO AC DOMINO
D. CAROLO CASP. SIEBOLD,
MED. ET PHIL. DOCT. ANAT. CHIRVRG. ET ARTIS OBSTETR. PROF. PVBL. ET ORD. REVERENDISS. AC CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISC. BAMBERG ET WIRCEBVRG. FRANCIAE ORIENT. DVCIS CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATRO NOSOCOMII IVLIAEI CHIRVRG. PRIMAR. ACADEM. IMPERIAL. NATVRAE CVRIOS. ADIVNCTO, REGIAE CHIRVRG. PARIS. ET ELECTORAL. MOGVNT. SCIENTIARVM
VTILIVM SOCIO,
PRO DOCTORATVS MEDICI GRADV
DIE III. SEPTEMBR. MDCCLXXXVIII.
PROPVGNABIT
AVCTOR ET RESPONDENS
IOSEPHVS SCHMIEG,
WIRCEBVRGENSIS, AA. LL. ET PHIL. DOCTOR.

Typis Francifci Ernefti Nitribitt, Vniuerfitatis
Typographi.

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO LUDOVICO

S. R. I. PRINCIPI,

EPISCOPO

BAMBERGENSI

ET

WIRCEBURGENSI,

FRANCIAE ORIENTALIS

DUCI

CET. CET. CET.

PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO, GRATIOSISSIMOQUE PATRIAE PATRI

HANC DISSERTATIONEM SUBMISSISSIME DICAT, DEDICAT ET CONSECRAT

Auctor.

PRAEFATIO.

Non omnia ſed praecipua febris ſymptomata, quae ſingularem attentionem medici, & curam ſibi vindicant, pertractare ſuſcepi. Legi, quae nuper* STOLLEVS *in aphoriſmis de hac materie tradidit, reperique multa ineſſe dubia, & vexata, multa, quae ſeveriori examini ſubmiſſa non conſiſtunt, multa, quae omitti potuiſſent.*

Ea igitur ſecernere, quaeque vel a Praeceptoribus hauſi, vel legendo alios Auctores acquiſiui, adiicere, huius, quam propono, diſputationis finis fuit.

Tironi medico ſpecimen edituro nihil aliud ſuppetit, quam colligere ea, quae in variis Auctoribus ſparſa habentur, aut doctrinam a Praeceptoribus traditam dilucide, aut noua

* Hinc ea ſymptomata transiui, quae ex morbo ipſo fluunt, & ſponte ceſſant, vbi apta morbo medela adhibita eſt, v. g. anxietas, ſingultus, cephalalgia, exanthemata, ructus, flatus &c. Equidem me non latet, in nonnullis caſibus & iſta curam ſingularem deſiderare; verum id rarius accidit.

ſorte methodo exponere. Inuenire noua paucorum eſt.

Experientia vero & ratione omnis ſcientia medica nititur: illa proponit, haec ſeligit & diſponit. Authoritati nullum ius eſt in ſcientiis; & ſi vlla datur, eam fidelis, adcuratus, & ſincerus obſeruator ſibi ſolum arrogare poteſt.

Veneror Celeberrimum STOLEEVM, *quem certe omnes boni maximo rei medicae detrimento praematura morte abreptum eſſe lugent. Authoritatem habent eius obſeruata; ſed eius dogmata, quatenus ab obſeruatis diſſentiunt, cuilibet ad trutinam diſquiſitionis reuocare licet. Nec, qui totius ſe erraſſe ipſemet ſincere fatetur. ſucceuſeret, ſi adhuc viueret, alii errores oſtendenti.*

Ruunt ſyſtemata, quae futili opinionum & hypotheſium fundamento nituntur. Hinc tot in arte noſtra controuerſiae, & diſceptationes, quae licet ingratae diſcenti, arti nociuae, tamen vero ſtabiliendo maxime inſeruiunt. Ex oppoſitis veritas clarius eluceſcit.

Eius ſtudium me totum hucuſque occupauit. Quam prope illi acceſſerim, aequus orbiter diiudicet.

DE

DE FRIGORE FEBRILI.

§. 1.

Frigus febrile peculiaris neruorum inprimis cutaneorum ſenſus & affectio eſt, quam ingrata irritatio cauſæ morbificae producit; inde varietas & diuerſus eius gradns, qui reſpondet partim irritabilitati febricitantis, partim cauſae, quae frigus parit, magnitudini & ingenio. *

* Theoria CVLLENI febrilis magis veri ſpeciem habet, quam ſubſtantiam.

„ Ponere pro cauſa febris atoniam & ſpaſmum „ ipſimet inuentori arduum videtur intellectu. Ato- „ nia ſano, & communi ſenſu accepta plane ex- „ cludit ſpaſmum. Minus intelligibile eſt, debili- „ tatem a ſtimulo febris productam ſyſtemati ſan- „ guifero ſtimulum indirecte adferre. Sed ſit ita! „ quid inde boni in formanda indicatione practica? „ Maneamus intra limites, quos vltra citraque va- „ gari pene idem eſt, vt cl. P. meus ait, ac nu- „ gari. „

Frigus vero, vti calor, duplex eſt: aliud, quod phyſicum dici meretur, thermometro cognoſcendum; aliud animale, quod ſolus apprehendit ſenſus ſiue aegri, ſiue medici, & adſtantium.

Vtriusque magna diſcrepantia, vti pulcherrimis oſtendit experimentis Haenivs, * ſaepe pars vna corporis humani calet, imo vritur, dum altera friget.

Alia diſtinctio & male a nuperis praetermiſſa, eſt, quae petitur a ſenſu & aliis frigus comitantibus ſymptomatibus, vnde horripilatio, algor, rigor.

§. 2.

HORRIPILATIO.

Leuis, ſubitoque tranſeuns cutis ex dorſo conſtrictio ſpaſmodica cum ſenſu frigoris dicitur horror, vel horripilatio.

Excitatur ab ingreſſu febris; frequenter repetit. Interdum per aliquot dies durat, ſaepius initio febris cum calore alternat, aliisue ſymptomatibus iungitur.

Complu-

* Cel. Haen in variis partibus Rationis ſuae medendi inprimis IIma.

Complures frbres a ſolo horrore cum frigore ordiuntur, etiam intermittentes; etſi hae, ſi exquiſitae fuerint, magis cum rigore inuadere ſoleant.

Horripilatio porro datur vaga, aſſidua*, periodica, epigenomena, critica.

§. 3.

PRAESAGIA.

Pro natura modi, & durationis horror facilem, difficilemue praebet ſignificationem.

Horripilationes vagae cum vel ſine extremorum frigore praenuntiant eruptionem febris; in ipſo autem vigore febris dorſum aliamue partem pererrantes, abſceſſum.

Veſpertinae, vagae horripilationes ſubſequente calore, & ſudore in pleuritide, peripneumonia, hepatitide ſuppurationem ſignificant.

Si nimis diu durat, continuoque vexat, vel ſaepe recurrit, indicat vel copiam materiae morbum committentis, vel malignitatem, vel transmutationem morbi in diuerſum ſtatum.

In cruditate morbi ſaepe recurrentes ſemper mali ſunt, niſi breui ſolutio contingat.

* Inde Veterum febris horrifica ſeu φρικώδης dicta.

Periodicus horror in continuis ſi oritur, ſignum eſt, febrim ex continua in intermittentem verti.

Remittentes perfectae cum veſpertino horrore acceſſus reiterare ſolent, qui tamen in vigore non amplius apparet.*

Si in decurſu morbi horripilatio oritur, vel gangraena imminet, vel noua ſuccedit febris.

§. 4.

COROLLARIA.

Hinc intelligitur.

1. Quid indicet horror periodicus?
2. Quid erraticus in acutis & chronicis?
3. Cur illis, qui frequenter in acutis inhorreſcunt, ſaepe abſceſſus fiant?
4. Cur phtiſici & hectici ſaepe horreant?
5. Cur in acutis horror & rigor debilitatis ita metuendi?
6. Cur adeo mala ſit conuulſio horrori in acutis ſuperueniens?

§. 5.

FRIGVS ALGOR.

Frigoris paulo maior gradus plerumque cum pallore, torpore, & valetudinis aduerſae ſenſu Algor vocandus eſt. Mul-

* Exemplum habet Stolle in peripneumonia bilioſa P. I. Rat. med.

Multiplex vero huius forma & differentia. Simplex cernitur, aut cum horripilatione iunctus; per vniuersum corpus, aut in aliquibus duntaxat partibus. Subinde aeger valdopere friget, quin sentiat. In malignis praesertim intermittentibus algor diuturnus, marmoreus periculum indicat, & vim vitalem oppressam.

§. 6.

PROGNOSIS.

Frigus stato tempore reuertens in febre apparenter continua latentem aut complicatam febrem intermittentem indicat. Quandoque etiam in homine non febricitante abscessum.

Frigus cum sudore vniuersali die iudiciali ceteris bonis & in homine temperamenti irritabilis adstantes terret, non medicum.

Frigus magnum, marmoreum cum sudore frigido, viscido in facie praeprimis, iugulo, pectore, pulsu tenuissimo, debilissimo. celerrimo fatum proximum denotat.

Idem frigus cum indolentia post dolores acutos, mentis præsentia & hilaritate breui lethale. *

§. 7.

* Fallacia est, quae optimum Virum non semper bene ratiocinantem delusit, quum ait: diu per septimanas fere semper interdiu frigere, velut ab aura frigidio.

§. 7.

PRAESAGIA HIPPOCRATIS

Labia liuida, aut etiam resoluta & inuersa, & frigida mortifera.

Aures frigidae, pellucidae, contractae lethales sunt. S. 8.

In morbis acutis frigus partium extremarum malum.

Qui refrigerantur, nec sine febre superioribus partibus exsudantes anxii, phrenitici, ac desperati in acuta febre redduntur.

§. 8.

RIGOR FEBRILIS.

Ea frigoris sensio, quae cum tremulo motu artuum, & maxillae inferioris coniungitur, Rigor vocatur.

Duplex vero rigor recte statuitur:

1. Symptomaticus.
2. Criticus.

An-

gidiore, cum morositate, irritabilitate mentis aucta, noctu vero inquietum esse, incalescere, vigente interim appetitu febrem grauem putridam neruosam futuram portendit STOLL Aphoris. pag. 218.

Conferatur etiam Rat. med. T. II. vbi ratio huius asserti legi potest. Seminium morbi accidentale confudit cum causa.

Annot. Huic tertium addit BAGLIVIVS periodicum.

§. 9.

A rigore incipiunt febres intermittentes — inflammatoriae — ardentes — & nonnullae acutae.

Diſcrimen frigoris & rigoris facit vehementia ſtimuli, & temperies.

§. 10.

Cauſa rigoris eadem eſt, quae frigoris.

Ex ſymptomatibus hunc affectum comitantibus euidenter liquet, frigus & rigorem minime oriri a ſanguine in extremis vaſis ſtagnante * aut circuitu eius imminuto. Spaſmodicae ſine dubio naturae eſt, vti omnia phaenomena id teſtantur. Cum pulſu forti, & frequenti rigorem in acutis obſeruauit Cel. PRAECEPTOR. Poſt rigorem die critico obortum ſalutaris quandoque criſis oritur, monente iam HIPPOCRATE.

Quartanarum rigor plerumque vehemens, ſubinde diuturnus, tumque ſenibus pernicioſus.

Frigoris & rigoris diuturnitas generatim vel morbum grauem fore, vel malignum indicat.

Pro

* Hanc frigoris theoriam iam antiquatam denuo in ſuis aphoriſmis propoſuit STOLLEVS pag. 217. qui tamen ſapienti conſilio caloris cauſam proximam, vt litem euitaret, tranſiuerit.

Pro diuerſo frigoris gradu varia alia ſymptomata inſimul hoc primum febris ſignum comitari ſolent, vti oſcitatio, pandiculatio, pallor, vel liuor unguium, atque labiorum; rigor; torpor; imminuta ſenſibilitas, obliuio, ignorantia; pulſus paruus, frequens, inordinatus.

§. 11.

PRAEDICTIONES HIPPOCRATIS.

Rigores multi torpidi maligni ſunt.

Quibus ſexta die rigores fiunt, hi aegre iudicantur.

Continui rigores in acutis pravi ſunt.

Rigor cum diſtentione neruorum in poſteriora occidit.

Vrinae cum rigore ſuppreſſae malae, & Conuulſione, tum alias, tum ſiquis antea graui ſopore preſſus fuit.

Rigores veluti in febri tertiana, ſi in media inordinata febre exacerbentur, valde maligni ſunt.

Ignorantia cum rigore malum.

Soporoſi rigores aliquatenus pernicioſi — —

In his frigiditas poſteriorum partium Conuulſionem acceſſit.

Rigor

Rigor continenter vexans corpore iam debili existente lethalis est.

Rigores ex dorso molestiores sunt.

§. 12.

COROLLARIA.

Quid ex frigore, horripilatione, rigore praedici potest?

Cur tanta huius symptomatis varietas in diversis febribus?

In quibus aegris rigor febrim ordiens malus?

An nunquam licet Calefacientia in frigore exhibere, & qualia?

Quando rigor in decursu febris superueniens bonus, quando malus?

Cur calefacientia, & aromatica in ipso frigore data inflammationem sæpe grauissimam, & pectoris dolores, & peripneumoniam excitant?

Quid significat algor, vel horripilatio post febres repente orta?

Quando mali moris, & quibus ex signis id colligitur.

An mors, quae in frigore febrium intermittentium quandoque senes obruit, a stagnante circa cor

&

& pulmones ſanguine, vti HARVEIVS, & ex eo alii AA. ſtatuunt, annon fallacia ſubeſt?

§. 13.

CVRATIO.

Dum frigus validum, aut rigor hominem prehendit, calidis non calefacientibus ingratus ſenſus mitigandus eſt.

Optime datur potus infuſi grati leniter ſtimulantis, & calidi, vel theæ ex floribus ſambuci, tiliae, herbae meliſſae, quam aeger ſingulis horae quadrantibus ſorbillet.

Gelida autem ſi membra fuerint, vtilis erit

a) Fricatio blanda.

b) Fotus ex linteis calefactis inprimis pedum.

c) Inunctio.

d) Vapor, aut balneum.

Si atrox frigoris ſpaſmus vim cordis & arteriarum nimium frangat, & aeger vel ſenex, vel exhauſtus fuerit; cardiaca, vinum calefactum, & liquor mineralis multum infuſo theae dilutus cum ſucco citri, atque calidus exhiberi poſſunt.

Quibus mature & prudenter adplicatis imminens periculum feliciter auerruncatur.

Maxime huius ratio habenda eſt in febre intermittente. Contra remittentium frigora; & horripilationes nihil medicamentis efficitur. Magis in his ſpectari debet diagnoſis, & prognoſis.

CALOR.

CALOR.

§. 1.

Proprium & pene caracteristicum omnis febris symptoma calor est, cuius tanta in cognitione huius mali dignitas, vt complures ex Veteribus, & adhuc nuperi * omnem febris naturam in calore praeter naturam aucto poni posse autumauerint. Cui quidem sententiae etsi casta experientia non adstipuletur, negari tamen nequit in plurimis febribus semper aliquod dari innati caloris augmentum, quod saepe contrectans manus, saepe solus aegri sensus, quandoque thermometrum more Haeniano adplicatum manifesto demonstrant.

Duo sunt, ex quibus Auctores practici febris magnitudinem, & gradum aestimare solent, calor quippe & frequentia pulsus. Sic saltem eos intelligi debere opinor, qui in enarratione casuum, morbi acutiem indicaturi, his paucis verbis, *febris magna*, *febris valida*, vtuntur. Quorum etsi ambiguus nec adhuc determinatus sensus sit, vel alterutrum tamen, vel vtrumque febris nomine comprehendisse videntur.

§. 2.

CALORIS DISCREPANTIA.

Caloris vero, qui in febribus vario gradu augetur, duplex differentia statuminari debet.

* Cel. VOGEL, BRENDEL, &c.

1mo. Animalis, qui denuo vel ſolo tactu adſtantium, vel ſolo aegri ſenſu dignoſcitur. *

2do. Phyſicus a priori diuerſus, cuius praeſentiam & gradum thermometrum oſtendit. **

§. 3.

ALIAE ET MAGIS PATHOLOGICAE CALORIS DIFFERENTIAE.

Calor porro animalis vario non ſolum gradu, ſed etiam modo, in aegrotis febri implicitis exardeſcere ſolet; vnde varium & memorabile caloris diſcrimen naſcitur.

Datur itaque

Calor mitis.

ardens. ***

acer, mordax. ****

uni-

* Confer Cel. & ſumma pietate venerandi PRAECEPTORIS Elementa Phyſiol. patholog. Vol. 3. & in eius praeceptis ſemiologicis.

** Hic calor etiam aliquo tempore poſt mortem perſtat; non igitur ab attritu deriuari poteſt. Conf. HAEN Rat. med. T. 11.

*** Calor intolerabilis, & ſitis inexplebilis duo characteriſtica febris ardentis ſymptomata ſunt.

**** Maximum febrium putridarum indicium GALENVS poſuit caloris qualitatem: nihil enim ſuave, nihil moderatum habet. Sed mordax potius quodammodo

eſt,

Calor vniuerſalis.
partialis, topicus.
inaequalis.
ſiccus.
humidus.
exaeſtuans.

§. 4.

CAVSAE.

Calorem phyſicum motu & attritu, animalem contra frictu, impulſu, & neruorum certa irritatione ſemper augeri pene certum eſt.

Sed miſſis ſubtilibus caloris animalis cauſis videamus eas, quae magis imperio medici ſubiectae ſunt. Conſtat autem obſeruatione calorem in homine ſano, & ſaepiſſime etiam in febricitante, magis accendi.

1. *A circuitu ſanguinis vehementiore.*

Hinc aucto pulſuum numero increſcit vna calor, etſi diſſimulare nequeam, vtramque affectionem ab eadem cauſa produci poſſe. *

eſt, vt laedat, mordeatque tactum, veluti fumus oculos & nares. GALEN. de feb. different. Eundem calorem PRINGLE in malignis deprehendit.

* Hic certe theoria CRAWFORDII de calore animali, & magis in ſequentibus manca, & imbecilla videtur.

2. *Ab incitantibus animi pathematibus.*

Quae igitur calida vocat C. P. v. g. ira, gaudio, amore, deſiderio, pudore.

3. *A ſtimulo inflammatorio.*

Is ceteris paribus omnium maximum producit calorem. Parti ſingulari inflammatae ſi paſta vel puls ſuperhabetur, breui exareſcit. Quantum non aeſtuat varioloſus per totam cutim inflammatus!

4. *A ſtimulo bilioſo.*

Vehementi etiam aeſtu torqueri ſolent, quos febris bilioſa affligit; immanis febris ardentis calor eſt, qui bile expulſa, aut medicamentis cicurata mox remittit, aut conquieſcit. Differre hunc a phlogiſtico inprimis acritate, attrectatio docet, & medendi methodus.

5. *A ſtimulo putrido animali.*

Acer, mordax calor eſt, quem in febribus putridis, ichoroſis, & nonnullis hecticis tactu perſentiſcimus. Is adeo poſt mortem perſtat, vt C. P. ſaepiſſime obſeruauit. Hunc domant ea remedia, quae putrorem cohibent, vel tollunt. *

6.

* Sed quanta vis caloris in febre? In hac recidiua plus 4 libris ſanguinis detractum eſt, dum interea calor naturali calore humano ſemper ſuperior deprehendebatur. Quanta humorum copia aut rarefactio poſt demtas 50 ſanguinis vncias pulſus ad mortem vſque [illegible] ple-

6. Ab efferuefcentia.

Oriuntur frequenter in acutis morbis breues quidam & euanidi motus, qui fe per corpus diffundendo deflagrant, & fpeciem efferuefcentiae aemulantur. Obfcura horum motuum caufa eft, fatis euidens vero effectus. Aliquoties per diem redeunt, euanefcunt. In metamorphofi morborum, vt & in febribus lentis hanc caloris caufam quilibet animaduertere poterit.

Huius foboles funt ardores topici. Quo plus phlogifti in corpore, eo maior efferuefcentia.

7. Ab ingeftis.

Calida-fpirituofa-alexipharmaca calorem producere ardentem peruulgatum eft.

8. Ab ambientibus.

Vti a calore lecti, cubilis, foci, aeris claufi, non renouati. De hac caloris adfcititii caufa egregie SYDENHAMUS, HAENIVS agunt.

§. 5.

PROGNOSIS.

Aeftus febri maior, & continuus femper malus eft.

Peior inaequalis, ficcus, aridus.

plenus ac fortis erat. HAEN Rat. med. P. II. pag. 119.

Peſſimus, qui circa vitalia haeret extremis vel frigidis, vel tepentibus.

Frigentem circa iudicationis tempus mox incaleſcere bonum eſt.

Ardores topici in acutis ominoſi.

Non ideo tamen in febribus blando calori fidendum eſt.

Fatum portendit vrens cum pulſatione arteriarum in certis corporis partibus, aegro iam debilitato.

Febri iam multum prouecta ardor circa praecordia & arida ſitis aut ſiticuloſitas malum.

§. 6.

PRAEDICTIONES HIPPOCRATIS.

Et qua parte corporis ineſt calor, aut frigus, ibi morbus.

Qui ſuperſunt intus in hypochondriis ardores, febre perfrigerata, malum, tum alias, tum inter ſudores.

Siquis a frigore, quum ſudat, cito rurſum incaleſcat, grauiſſimum habet malum.

Contra qui incendio conflagrant, ad medici manum torpidi, ſitibundi, faſtidioſi, aluo ſuppreſſa, oppreſſi, exſoluuntur.

Qui cum ſudatiuncula vigiles crebro exardeſcunt, malum.

§. 7.

§. 7.

COROLLARIA.

Ex his intelligitur

In quibus febribus maior calor ſit, & minor? quinam bonus & malus?

Cur febris ardens adeo celeris & periculoſa? quae ſeptimum diem raro tranſit, quarto necat.

Vnde calor inaequalis, & quid ſignificet?

An calor mordax ſolum in febribus putridis?

Quinam ſint effectus caloris nimii?

Et quandonam huic ſymptomati mederi oporteat?

Quum vero calor & eius cauſa adeo diuerſa ſit, quibus remediis calorem reſtinguere debeamus?

§. 8.

CVRATIO.

Neceſſarium febris ſymptoma calor eſt; eius itaque exceſſus, quem vero definire arduum, vnice compeſci debet.

Varia caloris forma, gradus, & cauſa indicationem ponit.

Nimius ſiccat, torrefacit, denſat, ſalia & olea humorum acriora reddit, praeſentem putredinem auget.

Vnde patet, cur & quando huic ſymptomati obnitendum ſit?

In cura ſcilicet caloris febrilis reſpici debet ad cauſas remotas, a quibus calor nimius producitur. Hinc

I. Si oritur a ſola circuitus velocitate. Praeſidio erit

a. Venaeſectio, vt moles mouendorum minuatur.

b. Potus diluens, humectans, acidulus.

c. Regimen temperatum.

d. Balnea, pediluuia.

II. Si validior inflammatio in corpore denſo aeſtum producit metuendum, hunc mitigabunt.

a. Larga & iterata venaeſectio.

b. Balnea, ſemicupia tepida.

c. Aer renouatus frigidiuſculus.

d. Copioſus potus acidus, ſaponaceus, acetoſus.

e. Tenuiſſima ſtragula, culcitrae &c.

III. Bilioſorum ardorem optime moderatur

a. Regimen frigidum.

b. Potus acidus, gelidus. *

c. Epithemata ad frontem, ad rasum caput, ad plantas pedis.

Lotiones.

Decubitus supra lectum.

Situs erectus.

IV. Calori putridarum febrium efficaciter subuenit

Regimen frigidum supra commendatum.

Et larga spiritus vitrioli cum multa aqua, syrupo, melle, decocto remixti administratio. **

* Hic vti & aer frigidus non ad thermometrum, vt recte etiam monet STOLLEVS, sed ad lancem rationis definiendus est. Excessus aeque nocere potest.

** TISSOTVS Avis au peuple.

SITIS.

§. 1.

Molesta sensatio, quae nos cogit ad assumenda potulenta, vocatur sitis.

Haec febricitantes plerumque vel mox ab initio, vel in decursu pro ratione caloris, & siccitatis magis minusue vexare solet.

§. 2.

Ea varias offert modificationes, practico scitu vtiles. Datur enim

Sitis ingens,
arida,
inexplebilis,
fastidiosa.

§. 3.

CAVSA.

Non siccitatem sed acrimoniam, stimulum, inflammationem pro causa agnoscit. Siccissimo ore & lingua saepe nulla sitis obseruatur; & contra his partibus humidissimis, & largissimo potu ingesto, tamen sitis sat acris aegrum interdum affligit.

§. 4.

PROGNOSIS.

Ex siti sola nulla certa prognosis erui potest:

valida

valida non mala eſt: probabilis, quae ardori, ſic-citati ſeſe addit.

Suſpecta vero inexplebilis, quae nullo potu ſedari poteſt; ſi vna vox rauca & ſtridula eſt, diſcrimen habet.

At vero peius eſt, omnino non ſitire, aut ſitim ceſſare, praeſentibus tamen cauſis ſitim facientibus.

Hinc in febre ardente — biliofa — putrida — maligna faucibus & lingua aridis, fuliginoſis aegrum non ſitire perniciosum eſt.

§. 5.

CVRA.

Sitis, & quae ſitim ſaepe comitari ſolet, determinata alicuius potus appetentia ad medicatos naturae inſtinctus pertinet, cui liberaliter ſuccurrendum eſt.

Varia autem potus genera pro diuerſa tum aegri, tum morbi natura exhibere praeſtat.

Conueniunt interdum aquoſa, ſubacida, acida.

Veluti. Decocta fructuum horaeorum.

Aqua & acetum cum melle & ſacharo.

Serum lactis tartariſatum — tamarindinatum.

Limonada.

Decoctum

Decoctum cremoris tartari cum ſacharo.
Julapium aceto mixtum.
Infuſum Roob Sambuci.
Succus fructuum horaeorum expreſſus cum aqua.

2do. Interdum nitroſa.
v. c. Decoctum hordei vel auenae cum nitro & oxymelle.
Decoctum altheae cum nitro, melle, vel ſyrupo.

3tio. Subinde magis conducunt demulcentia.
v. c. Decocta farinacea.
Emulſio amygdalina.
Decoctum altheae. Inf. rad. liquiritiae &c.
Lac triplo aqua dilutum.

4to. In vehementi aeſtu, & humorum corruptione vi vitae incitata prae reliquis commendari meretur potus ex acidis meracis, & ſpiritu vitrioli, quem magna ſubinde doſi propinare fas eſt, exemplo Tissoti.

5to. Sin magna adeſt virium debilitas, cardiaca magis conueniunt, vt
Serum lactis vinoſum.
Vinum ipſum multa aqua dilutum.
Infuſa leniter aromatica.

Vinum

Vinum meracum, ſed manu ſuſpenſa exhibitum.

6to. Adhuc in nonnullis febribus calida praeſtant, in aliis frigida.

7mo. Si febris valde ardet, & cutis ſicca, arida eſt, iuuat nares, os, fauces ſimili decocto vel aqua fouere, colluere, gargariſare.

Hinc eundem in finem ſuadenda epithemata, cataplaſmata, enemata.

In bibendo demum is canon obſeruandus eſt, vt aeger ſaepe bibat, ſed parua copia, ne oneretur ventriculus.

DE-

DEBILITAS.

§. 1.

Impedita, fracta, vel ſublata facultas exercendi motus voluntarios vocatur debilitas. Eadem cum ſenſu obtuſi doloris, qualis percipitur a labore, & defatigatione, Laſſitudo appellatur.

§. 2.

Duplex vero datur debilitatis ſpecies, animalis & vitalis, quae ſedulo diſtingui debet; quum ab Auctoribus practicis ſaepius confuſae multam diſceptandi, errandique occaſionem praebuerunt.

Animalis illa eſt, vbi homo non poteſt libere, facile & conſtanter motus voluntarios exercere. Haec iterum diuerſos gradus habet.

Vitalis appellatur illa, quae ex fracta vi motrice cordis & arteriarum naſcitur, cui ſuppar alia, quam iure neruoſam dicas, a neruis ſingulari modo laeſis oriunda.

Exemplum eſt debilitas in malignis quibusdam morbis. Haec ſaepe imponit ſpecie debilitatis verae.

§. 3.

Debilitas ab aliis, nec male, diuiditur in veram, & ſpuriam.

Vera

Vera eſt, quam infert vel iactura fluidorum, vel relaxatio, irritatio, defatigatio ſolidorum.

Spuria vero, quae peculiari irritamento neruorum, aut conſenſui debetur. Haec in principio, illa in progreſſu morborum acutorum frequentiſſime occurſat.

§. 4.

Vtraque & vitalis, & animalis, docente ita rerum vſu, plerumque ſeiuncta in aegrotis febre laborantibus exiſtit; quandoque tamen vna conſociantur.

§. 5.

Praeterea adhus monendum eſt, debilitatem vitalem perſaepe dari fictitiam, quae medicum facile ſeducere poſſit, vt contrariam medendi methodum amplectens morbum & aegrum peſſime corrumpat.

Hinc ſumma cura & ſtudio inquirendum eſt, an, quae apparet debilitas, vera ſit, an mendax & fictitia. Tantundem enim nocent cardiaca in ſpuria, quantum auxiliantur in vera.

§. 6.

AETIOLOGIA DEBILITATIS.

In ipſa medicatione parum refert ſcire, an a negato, impedito, aut preſſo fluidi neruei motu

de-

debilitas oriatur. Medicus in fluidum nerueum directe agere nequit; proque ſuo lubitu eius motum nunc accelerare, nunc remittere. Quare remotas & potiores debilitatis cauſas ſolum expoſiturus ero.

1mo. Fomes febrilis ſiue intus natus, ſiue a foris in corpus intromiſſus prima & frequentiſſima omnis laſſitudinis, & debilitatis cauſa eſt. *

Haec vero diuerſimode organa motus afficit, vnde varia debilitatis ſpecies oritur; ex qua diuerſa febris diuiſio & indicatio repetenda.

2do. Illuuies vel ſaburra in primis viis contenta ** maxime ſicubi turget.

3tio. Temperies, & debilitatio iam praegreſſa. ***

4to. Euacuationes immodicae, intempeſtiuae, non indicatae, v. g. venaeſectionum, purgantium, emeticorum, ſudoriferorum.

5to.

* Verior omnibus penſitatis haec debilitatis cauſa erit, quam abundantia ſanguinis, ſeri, pituitae &c. ſi iuuit euacuatio, non iuuit demendo ſuperfluum, quam nociuum, & infeſtum. Exemplum praebet febris epidemica catarrhalis 1782. de qua eleganter diſſerit Cl. Witwer.

** Ill. Zimmermann von der Erfahrung. — Tissot de febre putrida.

*** Hvxham de febre lenta neruoſa. — Stolle aphoriſmi de febre pituitoſa, maligna - De malignitate

5to. Mala medicatio.

6to. Miaſma putridum, aut ſimilis ingenii contagium.

7mo. Diſceſſus materiae ad neruos.

8uo. Gangraena imminens, & putrefactio.

§. 7.

An dantur certa debilitatis vitalis ſigna?

Ex quo fallaciam mendacis ominari licet?

In quo caſu debilitatis verae cognitio ardua?

Num debilitas malignitatis index?

An in vere putridis, vbi debilitas adeſt, cortex ſecure adhibetur?

Aut cuius generis putrida fuit, in qua cortex mox a principio datus tam praeclare iuuit?

An debilitas, quam putrida, quam maligna quam denique variae debilitantes cauſae generant, iisdem auſcultat remediis? an eadem methodo tractanda?

In qua ſpecie debilitatis veſicantia ſunt exigentia.

An datur debilitas a plethora, quae venaeſectione leuatur? & in quo error AA. conſiſtit?

§. 8.

CVRATIO.

Debilitati animali ex ſua cauſa aeſtimandae eadem medela opponi debet, quae ipſi morbo quem comitatur. Nec, qui mos feminarum docte inſanientium eſt, ſtatim ad nutrientia, eupepta, & roborantia confugiendum eſt. Vinoſa, erigentia, neruina morbum a ſua indole deflectunt, & maxime alienum reddunt.

In vera debilitate vitali, quam accurate hauſta morbi & ſymptomatum notio perſaepe declarat, conueniunt

a. Cibus & potus leniter aromaticus, reficiens, irritans. Praecipue vinum prudenti manu exhibitum. *

b. Medicamenta ſimili virtute praedita v. g. Angelica, Serpentaria virginiana, Contraierua, Moſchus.

c. Roborantia neruina, vti Cortex peruuianus.

In ſpuria debilitate euacuantia ſaepiſſime requiruntur. **

Canon

* Hvxham op. Tom. I. de febre lenta neruoſa. Pringle de febre maligna.

** Errat Haenivs, dum ait: „ verum quacunque ratione,

Canon practicus. In his vero adhibendis id tenendum eſt.

Vt opportuno tempore, & iuſta doſi propinentur.

Atque vbi contraindicatio eſt, ea ante vel remoueatur, vel vrgente neceſſitate declinetur.

„ tione ex his datis cauſis debilitas ortum duxit, „ venaeſectione ſemper opus habebit. „ R. med. P. 4. pag. 34.

NAVSEA FEBRILIS.

§. 1.

Faſtidioſa ventriculi commotio vomitum intentans vocatur nauſea.

Plerumque comitem habet appetitum imminutum, vel deletum, faſtidium, ſenſum plenitudinis, ſorditiem oris, & linguae; ſubinde cephalalgiam, vertiginem, & leues animi defectiones.

§. 2.

Cauſae febrilis nauſeae, quas obſeruatio frequentius occurrere docuit, ſunt

1mo. Cruditas ab ingeſtis cibis nata, quam febris ſuperueniens magis corrumpit & alienat. * Huius diagnoſin praebet anamneſis.

2do. Illuuies bilioſa, pituitoſa, quam producit fomes & materialis cauſa febris intermittentis, bilioſae, pituitoſae, gaſtricae.

3tio Miaſma & contagium febrile ventriculum occupans nauſeam ſaepe pertinacem & ingratam excitat. Hinc patet ratio, quare hoc ſymptoma adeo frequenter & omnis generis febribus quin ipſis etiam inflammatoriis ſubinde ſe adiungat.

4to. Leuis inflammatio ventriculi vel in decurſu, vel circa finem febris nata quandoque nauſeam

* Haenivs R. M. *T.* 1. *T.* 9.

ſeam gignit, & vomitum, cuius origo ſaepiſſime medicum effugit, & nonniſi poſt mortem in ſecto cadauere detegitur.

5to. Idioſyncraſia ventriculi interdum quoque febrilis nauſeae author eſt, quem ex temperie, & ſedulo examine dignoſcere licet;

6to. A vermibus per febrim irritatis ſaepe excitatur nauſea, quae ſingularem medendi methodum repoſcit. At non aeque ſemper facile eſt, hos inquilinos ſanitatis hoſtes ex ſuis, quae in ſcholis praedicantur, ſignis diuinare.

7mo. Conſenſus.

§. 3.

CVRA.

Nauſeam a cruditate & illuuie in febribus gaſtricis, bilioſis, pituitoſis, exanthematicis ortam tollit emeticum.

Eam vero, quae vnice debetur irritationi, & ſpaſmodici ingenii eſt, ſaepe antiſpaſmodica, ſubinde diaphoretica profligant.

Nauſea a vermibus nata, pro diuerſo aegri, ſymptomatum, & morbi ſtatu, nunc euacuantia, nunc lenia anthelmintica, nunc iunctum ex vtroque medicamentum poſcit.

Consensuali inuestigata causa, & oppositis huic auxiliis; subinde neruinis optime succurremus.

Antiphlogistica methodus vnice locum habet si occulta inflammatio ventriculi motum peristalticum inuertit.

Post vomitum arte peractum relinquitur interdum nausea diuturna, ingrata, quam emesis denuo concitata pessime exacerbaret. Huic medentur grata acida, mucilaginosa, antispasmodica, quae excitatum tumultum sopiunt, & acriorem ventriculi sensum obtundunt.

Laudatur ad hunc vsum celebre Riverii antiemeticum, quod ex sale Absinthii & succo limonum componitur, inque ipsa sub mistione nata efferuescentia deglutitur.

Idem pulchre conducit in nausea & vomitu, vt aiunt, hysterico; qualis etiam in febribus ex ventriculi idiosyncrasia nascitur.

VOMITVS.

Violenta eorum, quae in ventriculo continentur, per guttur ſuperius expulſio, vomitus audit.

§. 1.

DIFFERENTIAE.

Vomitus idiopathicus.
ſympathicus,
ſymptomaticus,
leuatorius,
criticus,
inanis.

A materie, quae ore reiicitur, vtiliter vomitus diſtinguitur in ſaburralem — bilioſum — pituitoſum, cruentum &c.

§. 2.

Symptoma vere proprium conſtituit febris bilioſae, pituitoſae* — putridae. **

Nec infrequens eſt in primo febris intermittentis, & variolarum ſtadio.

Accedit interdum pleuritidi, peripneumoniae.***

* Stolle - Hvxham - Damiani.

** Hvxham.

*** Zimmermann Erfahrung — Stolle Rat. med. T. I. Aphoriſ.

Vrget mox ab initio cum insigni angore, & praecordiorum oppressione in febri maligna putrida, aut vti HVXHAMVS vocat, pestilentiali. *

§. 3.

CAVSAE VOMITVS FEBRILIS.

Non omnes enarrabo causas, quae vomitum producunt, sed illas solum, quae febrilem certa fide excitare solent.

Earum vero aliae sunt domesticae, aliae extraneae. Ad vtramque classem spectat

1mo. Cruditas ab ingurgitatione cibi, vini, quam ipsa docet reiectio.

2do. Illuuies biliosa, pituitosa. Hanc indicat lingua, sapor, color expulsorum, natura febris, & leuamen.

3tio. Vermes in primis viis stabulantes. **

4to. Miasma febrile cum saliua resorptum, & ventriculo adhaerens.

5to. Aluus diu clausa. ***

6to.

* HVXHAMI Oper.

** Ab hac causa in febri catarrhali epidemica oriebatur vomitus. Beschreibung der Epidemie. Giesen 1782. — VAN DEN BOSCH.

*** Quum aeger febri epidemica laborans per octiduum aluum haberet adstrictam, omnia ingesta ore reddidit, vt ilei metus oriretur.

6to. Inflammatio ventriculi manifesta, occulta. *

7mo. Inflammatio hepatis, & duodeni ** vel consensu, vt aliqui opinantur, vel propagatione, quod probabilius est, vomitum producit assiduum, aut recurrentem; adsunt fere eadem symptomata, quae febrem biliosam comitantur, vnde facilis in diagnosi error colligitur. Quare multo iudicio opus est, vt vera vomitus causa & sedes detegatur. Hanc forte ob causam monet timidior vt videtur vltimis annis in concitanda emesi STOLLEVS aphor. de cognoscendis febribus §. 841. Cautus sis in emeticis, & purgantibus propinandis, iterandis, ne signa saburrae fallacia habeas pro veris. Et §. 843. Si dubites de euacuatione instituenda, notandum, eam plerumgue plus nocere, praeter rem factam quam omissam, vbi fuerat indicata. Quod tamen effatum, pace magni viri dixerim, nimis generice dictum, adeoque erroneum esse, autumo. Pauca infortunia non illico nos inflectere debent.

§. 4.

PROGNOSIS.

Damnatur merito vomitus immodicus & inanis.

* HAEN Rat. med. Tom. 9. 11. - STOLLE.

** HOFFMANN Dissertat. de hepatitide. - HOME Principia medicinae.

Sincerus ex ſe non malus eſt, niſi a mala cauſa proficiſcatur, quam vero non ſinceritas materiae eiectae, ſed adiuncta ſymptomata certius denotant.*

Ominoſus eſt ille, qui poſt acutum hypochondrii dolorem ſubito infeſtat perſeuerante nauſea, & angore.

Mali ominis eſt vomitus, qui iungitur cum delirio & ſingultu.

Peſſimus, qui inuadit aegrum iam debilitatum — inſanientem — comatoſum — ſingultientem.

§. 5.
PRAEDICTIONES HIPPOCRATIS.

Pauci, celeres, bilioſi, meraci vomitus mali ſunt in alui ſubductione celeriore, & pertinaci lumborum dolore.

Ex vomitibus anxietates, clangores, oculi concretionem lanuginoſam habentes, furioſa.

In vomitu ſiquis ſiticuloſus ſit, & ſitis exors fiat, malum eſt anxioſis vigilantibus.

In meracis vomitibus ſingultus malus, mala etiam conuulſio.

In

* Sincerum bilis & pituitae vomitum toties ſalutarem vidit Stolleus, & nihilominus cum Hippocrate ſincerum vomitum vt peſſimum praenuntiat in aphoriſmis! !

In omni purgatione redundante frigiditas cum ſudore perniciosa eſt, & qui inſuper ſiticuloſi, in his malum.

Praſinus autem vomitus, & niger, & liuidus, malus eſt. Si vero etiam omnes colores idem vomuerit, perniciosum eſt.

Celerrimam autem mortem ſignificat liuidus & male olens.

Eſt etiam lethatis ruber vomitus, & maxime, ſi cum dolore vomatur.

§. 6.

CVRATIO VOMITVS.

Vomitum a cruditate & illuuie abſente inflammatione, tollit emeſis, & multus potus diluens, aceſcens, ſaponaceus.

Sin inflammatio vna adſit, ea prius abigenda eſt congruis remediis.

Spaſmodico ſubuenit potus diluens, leniter diaphoreticus; vehementiorem ſedat paregoricum & enema.

In vomitu a contagio cum dolore epigaſtrii & angore prodeſt infuſum diaphoreticum large exhibitum, cataplaſma ſimile, & medicamentum lene alexipharmacum.

Aſt vbi ex ſignis eluceſcit, inflammationem ſiue ventriculi, ſiue contigui viſceris vomitum producere, ab omni irritante remedio abſtinendum, &

præter

praeter nota inflammationis auxilia partim molientibus partim discutientibus cura vomitus tentanda est. Quum personata saepe inflammatio viscera abdominis teneat, diligens eius inuestigatio nequaquam omittenda est, quum error semel commissus reparari nulla arte queat.

Clanculum subinde vermes assiduum & molestum vomitum creant, cui pro varia febris & symtomatum ratione varia methodo succurrendum est. Generatim purgantia anthelminticis iuncta, interdum emetica requiruntur. Ab vtrisque abstinere decet, si corpus valide turbatum.

DE-

DELIRIVM.

§. 1.

Qui ideas ab internis caufis natas ad res externas refert, aut praeter rationem alienos a fuis mores induit, dicitur delirare.

Triplex ergo delirii genus datur; aliud in verbis, aliud in moribus, aliud denique in actionibus.

Saepe febrientes non aliud mentis alienatae fignum edunt; quam aliquid infoliti in moribus. Subinde aegri incongrua duntaxat actione defipiunt, quo fpectat rifus, vultus gelafinus, corrugatio palpebrarum, venatus floccorum, vellicatio.

§. 2.

MVLTIPLEX HVIVS SYMPTOMATIS DIFFERENTIA.

Datur delirium idiopathicum,
fympathicum,
fymptomaticum,
acceffiorium * periodicum, continuum,
mite, vel ferox,
taciturnum, mufitans,
phreniticum. **

§. 3.

* Acceffiorium voco, quod in fingulis febris acceffibus incidit, & iterum difparet, nonnullis paraphrofine dictum.

** Delirium phrenitidis fymptomaticae, quale in biliofis fubinflammatoriis fubinde occurfat, & ipfemet priori anno obferuaui.

§. 3.

CAVSAE DELIRII.

1. Exaeſtuatio, ebullitio febrilis. Ab hac inprimis cauſa vagum, nocturnum, & periodicum delirium naſcitur; eo magis, vbi diatheſis cerebri peculiaris, ſaepe gentilitia, non facile explicanda, in febricitante praeextiterit. Delirium in febre intermittente, & ephemera huic cauſae originem debet.

2. Illuuies bilioſa, pituitoſa, putrida in primis viis collecta mentem frequentiſſime alienare ſolet, cuius vim infatuantem nouis & pulcherrimis exemplis demonſtrauit Cel. Stolle. *

3. Decubitus ad cerebrum. Per febriles motus pars quaedam materiae acris, bilioſae, pituitoſae, phlogiſticae, ſepticae ad caput deferri, ibique haerens teneram medullam nerueam vehementius irritare videtur, vnde aequabilis actionum tenor valdopere inuertitur. Debilitas, Irritabilitas aucta, & calor hanc delirii geneſin proniorem reddunt & augent.

Huc ſpectat delirium pleuriticorum, peripneumonicorum, puerperarum, ardentium, variolarum &c. delirium in pleuritide bilioſa poſt venaeſectionem. **

4.

* Stolle Rat. med. P. III. cap. de Phrenitide.

** Stolle Rat. med. T. I.

4. Metaſtaſis. Humor ſeroſus, bilioſus, ſanioſus, lacteus &c. in febribus gaſtricis, putridis, malignis, eriſypelaceis, puerperalibus ad caput manifeſta ratione depoſitus periculoſiſſimum delirii genus producit, ſaepe nulla arte amouendum. * Grauiſſima hanc delirii ſpeciem ſymptomata comitantur, vt ſtupor, inſenſilitas, grunitus, reſpiratio magna, ſublimis, pulſus vibrans, ſaepe durus &c.

5. Inflammatio cerebri. Humor valde acer, aut phlogiſtici ingenii ad cerebrum delatus ſimiliter vt in aliis partibus inflammationem generare poteſt, leuiorem, grauiorem, occultam, manifeſtam. Probant hoc aſſertum non ſolum phaenomena in quibusdam phreniticis obſeruata, ſed etiam ſectio cadauerum, ** de qua tamen id adhuc monere debeo, me cum Cel. PRAECEPTORE non quemuis vaſorum ſiue meningum ſiue corticalis ſubſtantiae infarctum pro vera inflammatione habere. *** Praeclare & ſince-

* Exemplum habet STOLLE R. M. T. 3.

** MORGANGI de Sedibus & cauſis morb. — STOLLE T. III. SCHROEDER.

*** Encephalon inflammatum cum delirio obſeruari; inflammatum quoque mente ſana STOLLE Rat med. P. 3. pag. 206. Praeclare & ſinceriſſime STOLLEVS: Id ſolum difficile videtur, ut accurate determines, an vera atque inflammatoria phrenitis ſit,

ſinceriſſime de hac delirii ſpecie monet Cel. Stolle: Id ſolum &c. &c. &c.

6. Inflammatio & gangraena viſcerum cum cerebro conſentientium. Num vera, num remota tantum delirii ſaepiſſime obſeruati cauſa ſit, nec diſquiro, nec ſuſtineo. Scimus, & hoc in artis exercitatione ſufficit, inflammato v. g. ventriculo aegros delirare; idem contingere interdum accedente aliorum viſcerum gangraena.

7mo. Vt remota cauſa hic praeteriri nequit dominantis epidemiae ſingulare ingenium, quo fit, vt humor vel ſtimulus febrilis frequentius caput petat, & nunc coma, nunc delirium, nunc apoplexiam generet. *

§. 4.

SIGNA FVTVRI DELIRII.

Imminens vero delirium ſequentia praeſagiunt. Somni breues, interrupti, inſomniis turbati. Oculi

„ ſit, an vero ſympathica, aut etiam aliunde proueniat: etſi enim in ſcholis medicorum phrenitidum diſtinctiones accurate tradantur, earundem tamen diagnoſis penes lectos aegrorum non raro anceps reperitur. Tom. 3. Rat. med. pag. 200.

* Conf. Sydenhamvs — Pringle de febre bilioſa. — Werlhof. obſeruat. de febribus. — Stolle Rat. med. pluribus locis.

Oculi viuidi, ſcintillantes, torui, vagi, defixi, oblique tuentes.

Suſurrus aurium, & capitis grauis, aſſiduus.

Silentium ad interrogata.

Cutis ſiccitas ſtrigoſa cum vrina parciore, pallida, vel absque nubecula.

Reſpiratio celeris, & inaequalis.

Mores, ſermo, geſtus inſoliti iamiam praeſentis iudicium praebent.

§. 5.

PROGNOSIS.

Delirium nocturnum, placidum, acceſſorium raro malum eſt.

Neque metuendum eſt illud, quod ab irritabilitate, & cerebri diatheſi peculiari ortum trahit. *

Conſtans etiam & ferox delirium, ſi reliqua ſymptomata non valde mala fuerint, perſaepe periculo caret.

Aliquando delirium incidit circa criſin, quod facto iudicio ſponte pacatur.

 Con-

* Septimo die inter ſigna optima incipit canere, clamare, diuerſas hiſtoriolas enarrare, ad rogata inepte reſpondere. Dato opio quies, ſomnus, denique mentis conſtantia ſequebatur. Störk Ann. med. I. pag. 18.

Conſtans & ferox cum vrina parca, pallida, ſine contentis, alvo difficili, rara, alba; cutis ſiccitate, ariditate, tendinum ſubſultu, artuum tremore, maxillarum contractione ad ingerenda depoſitionem ſeri ad ventriculos cerebri, infra tentorium cerebelli atque ad thecam vertebrarum factam ſignificat & mortem certam.

Delirium aſſiduum cum pulſu frequenti & molli; aut frequenti contractoque, ſimul accelerato; reſpiratione parva accelerata lethale eſt; eſt enim depoſitio ad cerebrum facta non amouenda.

Furioſum continuum cum clamore, ingenti virium conatu, fuga, aſſumendorum auerſione plena, notiſſimis antea, & amiciſſimis non agnitis periculoſiſſimum.

Taciturnum, muſitans, aut morbida mentis indifferentia, indolentia cum pulſu praelanguido, & carphologia valde malum.

Taciturnum cum ſpiratione magna, ſublimi conuulſionem vniuerſalem & apoplexiam portendit a metaſtaſi.

Aſſiduum cum aeſtu aſſiduo, peruigilio pertinaci, Carotitidum & temporalium forti pulſatione, ſudore colli, reſpiratione magna, ſublimi, offenſante, anxietate, iactatione, ſtragulorum impatien-

tia

tia, conuolutione, grunnitu, venatu floccorum; oculis conniuentibus immotis, vel ad lucem pupilla immobili, cum extremorum frigore, liuore; aluo fuppreffa, vrinis parcis, aquofis; cute ficca, abdomine elato, denfo, & aegro doloris fenfum edente, fi contrectetur, inflammationis internae, fepticae, malignae fignum eft, & inftantis mortis certae. *

§. 6.

PRAESAGIA HIPPOCRATIS.

Tremulae, obfcurae defipientiae, & vbi aegri continuo quafi attrectando aliquid palpant, valde phreniticae. Praedict. L. I.

In febribus mentis emotiones taciturnae, perniciofae.

Quae deliria cum rifu fiunt tutiora, quae cum ftudio, periculofiora.

Deliria circa neceffaria peffima. Coac.

Quodfi in hypochondrio pulfus quoque infit, perturbationem fignificat, vel delirium. Juxta ventrem in febre palpitationes mentis emotiones faciunt.

D 2 §. 7.

* Stolle Aphorif. de cog. febribus pag. 248. Facile liquet, cel. virum omnia fere figna lethalitatis hic collegiffe, quae in multis aegris cum delirio morientibus obferuauit; quaeque etiam fine delirio per fe horrenda effe, experientia docet: feparet igitur lector, & colligat, quae frequentius aut feparata, aut collecta in aegris dari obferuatio docuit.

§. 7.

CVRATIO.

Quum adeo diuerſae delirii febrilis cauſae eſſe poſſunt, ſatis patet, non vniuerſalem dari curationis methodum, ſed pro varietate cauſae varia requiri remedia,

Longe alia certe medela adhiberi debet in delirio idiopathico, quam ſymptomatico; alia vbi delirium ab inflammatione naſcitur, alia vbi a bile, ſero, exanthemate ſenſorii communis fibras vehementer laceſſente. Hinc ſaepe vacuandum eſt, ſaepe auertendus a cerebro impetus, ſaepe temperandus aeſtus, & mitiganda acrimonia.

Princeps vero regula eſt, vt miſſo Symptomate magis inquiratur in ipſam morbi, cui ſe adiungit, indolem, huicque, non delirio apta medecina inueniatur,

Frequens delirii cauſa eſt nimius febris impetus; eum ſedant

a) Enemata ſæpe applicata. Eluuntur enim ſic fæces, laxantur & foventur vaſa inteſtinorum, auertitur impetus a capite, ſimulque diluens liquidum hac via impertitur.

b) Potus diluens, ſedans, egelidus; affatim

datus

datus sæpe illico aeſtum, & mentis aberrationem abſterſit. *

Paratur ex decoctis radicum vel ſeminum. Placet ſimpliciſſimus ex aqua, ſaccharo, & melle. Subinde emulſa conferunt. Vitrioli ſpiritum tenui cereviſiæ inſtillatum pro potu ordinario dedit ſydenhamus.

c) Pediluuia, epiſpaſtica pedum, crurum.

Illa laxando, haec irritando impetum & copiam humorum derivant verſus inferiores corporis partes, adeoque ab encephalo auertunt. Facile autem patet, & epiſpaſtica, ſi acriora fuerint, nocere poſſe, hinc ea duntaxat applicari debere, quae ita motum humorum per partes inferiores augent, vt per reliquas non vna nimis inſtigetur.

Solis balneis & veteres & recentiores deliria febrium ſymptomatica pulcherrime diſſiparunt.

d) Situs erectus, & in ſedili.

Hunc prae ceteris maxime commendat ſydenhamus-Grantius & ille quidem tanti hunc facit, vt reliqua alias commoda remedia plane nihil efficere contendat, niſi aeger extra lectum in ſedili reſideat.

 e)

* Notabile exemplum eſt, quod refert Mead monit. & praecept.

Zacvt. Luſitan. obſeru. med. pag. 98. notabilem refert hiſtoriam.

e) Scarificatio, hirudines *

Larga narium haemorrhagia ipſam etiam phrenitidem iudicatam eſſe, monuit Galenvs & Hippocrates; iuvat autem partim minuendo nimiam circuitus velocitatem, partim auertendo impetum, dum per externa carotidis vaſa ſanguis maiori celeritate prouehitur. Sed quaecunque huius leuamenti cauſa fuerit, innumeris Auctorum obſeruatis euictum eſt, ſcarificatione & hirudinum applicatione deliria, vt putant, phrenitica hiſce remediis nunc mitigata, nunc omnino ſedata fuiſſe.

f) Euacuantia.

Saepe numero bilis acrior in ventriculo haerens delirium excitat graue, imo furioſum, quod multis falſa phrenitidis ſpecie imponit. Sed qui epidemiae regnantis indolem & ſordium bilioſarum ſigna bene cognita habet, a fallacibus quibusdam ſignis ſe adeo ludificari non patitur, ſed cauſam delirii veram directe adorietur; propinatisque emeticis ſordes bilioſas, a quibus forte per conſenſum mens perturbatur, expellet.

Lux tenebrae, aſſenſus: Contraria.

Aegri, quibus delirii futuri metus eſt, vel qui iam

* Conf. Medicvs Samml. von Beobachtungen von dem Nutzen der Blutigeln in der Hirnwuth. Hvxham oper. T. I.

iam delirant in loco ab omni ſtrepitu remoto, & in tenebris retineri debent. Asclepiades in luce haberi aegros voluit. Optime Celsvs, qui neutrum perpetuum eſſe dixit, & hinc vtrumque experiri iuſſit; alios enim a tenebris, alios magis a luce turbari.

Altera regula eſt, vt delirantium voluntati, & deſiderio medicus non temere reluctetur. Nam docuit obſeruatio, mentem illico pacatam fuiſſe, dum aeger voto potitus eſt. *

Iam Celsvs monuit: Quorundam vani metus leuandi ſunt — Quorundam audacia coercenda — Quorundam triſtes cogitationes diſcutiendae, ad quod ſymphoniae, cymbala, ſtrepitusque proficiunt. Saepius tamen aſſentiendum quam repugnandum eſt, paulatimque & non euidenter, ab his, quae ſtulte dicuntur, ad meliora mens abducenda. **

 Non-

* Pulchrum & graue exemplum de ſe ipſo narrat Cl. Herz Magazin zur Erfahrungsſeelenkunde. Erſten Bandes 2tes Stück. Mox ab initio ſequens mihi placuit annotatio:

Ueber die Benennung meiner Krankheit waren und ſind meine Aerzte noch nicht einig, einige nennen ſie ein Faulfieber, andere ein bösartiges Katarralfieber, andere ein hitziges Nervenfieber; & tamen celeberrimis ciuitatis medicis vſus fuerat.

** Lib. 3. c. 18.

Nonnullos concentus muſicus iuuit, & lectio. * Pluribus id exemplis confirmat hiſtoria medica. **

CO-

* Celebris muſicus febre acuta laborans ſeptima die morbi incepit delirare absque vllo fere interuallo cum ſummis clamoribus, fletu, terroribus & vigiliis perpetuis. Tertia ferocis delirii die aeger voluit, vt concentum muſicum coram ipſo inſtituerent. Aegre hoc conceſſit medicus. Verum illico redibat vultui ſerenitas, conuulſiones ceſſabant, lachrymatur prae gaudio, atque ſentiebat talem delectationem, quam nec ante, nec poſt morbum vnquam a ſuauiſſima quacunque harmonia habuit. Imo, quod mirum, aberat febris, quamdiu durabat muſicus concentus, illoque ceſſante redibant ſtatim omnia mala.

Inexſpectatus ſucceſſus fecit, vt renouaretur mirum illud remedium, & ſemper idem ſequebatur ſucceſſus. Expertus hoc ſolamen aeger de nocte etiam coegit, vt cantaret cuſtos, quae ipſi aderat, ſicque per 10. dies continuato hoc remedio integre curatus fuit. Academ. des Scienc. A. 1705. Simile exemplum, vbi adhuc citius ſequebatur ſanatio in artis ſaltatoriae magiſtro in Actis pariſin. ejusdem anni habetur.

** Stolle R. M. Tom. 3.

COMA. SOPOR.

§. 1.

Somnus longus, grauis, aliquantum hebes dicitur sopor, vt distinquatur a somnolentia, quae aliquando in febribus incidit, non mala, imo quandoque salutaris; * & propensionem in somnum aegre cohibendam, aut somnum vltra modum protractum denotat.

Annot. Coma apud Hippocratem diuersam sinificationem habet, & indicat propensionem in somnem vix cohibendam cum vigilia, aut cum somno. Inde origo diuisionis in coma vigil, & coma somnolentum. Quid vero sub vtraque intellexerit, bonus senex non declarauit, eius vero commentatores dissentiunt; optime, vt videtur, explicuit Galenus. Commune amborum est, quod tollere non possint oculos, sed mox grauentur, & dormire velint. Proprium vero alterius, quod illi statim dormiant profunde, & diu; hi vero vigiles versent se, alia super

D 5 aliam

* Ita Cel. P. in Semiologicis, vt diuersas somni morbosi species distinqueret, & alia vocabula ad eas signandas adhibet. Rectissime monet ex defectu bonarum definitionum, quod ipsemet non semel expertus sum, confusionem nasci in historiis morborum.

aliam phantaſia adueniente & mentem mouente, & ſomnum interdicente, vnde ſemper vigiles manent, ſurgere vero non poſſunt, & agere illa, quae vigilantium, ſed deficiunt magis, quam ſi vigilarent, & grauantur, & cataphora detinentur, vt ſperes, ſi conceſſeris, eos facile dormituros; conceſſo autem iis hoc, nedum dormiunt. Coma ergo ſecundum Hippocratem aſſidua ſomnolentia eſt, ſiue ſomnus ſequatur, ſiue non.

§. 2.

DIVISIO.

Coma idiopathicum,
ſympathicum,
ſymptomaticum,
criticum,
turbulentum.

§. 3.

CAVSAE.

Plurimae diuerſae, & ſaepe oppoſitae cauſae, vt ſanum in homine ſomnum, ita etiam morboſum in febricitante producunt; e quibus tantum illas hic recenſebo, quae ſingularem medici attentionem poſtulant.

Metaſtaſis.

Grauiſſima ſoporis febrilis cauſa eſt translatio materiae febrilis ad caput, quae ſenſorium commune

ita

ita afficit, & diſponit, vt naſcatur inuincibilis dormiendi cupido & neceſſitas. An agat premendo, an diſtendendo, an alia & forte multiplici ratione, difficile dictu. Soporis & pericula cum eo coniuncti diuerſitas ſuadent, non vno modo ſoporem in febribus excitari. Quo copioſior vero & tenacior materies eſt, quae caput petit, eo maiori in periculo aeger verſatur. Obſcura, lenta, tenuis ſaepe aptis remediis mature adhibitis debellari poteſt; ſubita, manifeſta, ſpiſſa in febre admodum acuta difficulter diſſipatur. Signa metaſtaſis ſunt etiam ſigna huius ſoporis. Spes omnis curae poſita eſt in deriuantibus, quam vero eludit ſaepius mali vehementia, dum breui tempore more apoplectico iugulet, vti in febribus intermittentibus, rheumaticis, eryſipelatoſis, exanthematicis ex ſingulari epidemiae vagantis ingenio fieri aſſolet. *

Decu-

* Quidam ex febre rheumatica per 14 dies decumbens, repente delirabat, tandem ſopore apoplectico correptus paucos poſt dies periit. Multum aquoſi laticis inter vtramque meningem, & in ventriculis lateralibus inuentum eſt. Stolle Rat. med. T. 3. pag. 133.

Iuuencula die Octobris morbi 9na ad noſocomium deportabatur, exhibuit ſymptomata febris compoſitae ex lenta neruoſa, bilioſa, & inflammatoria, ſanguis detractus. Vomuit amurcam. Pulchre habuit,

Decubitus.

Humores vi febris, aut aberratione ad caput maiore impetu ruentes ita cerebrum, eiusque medullam replent, & afficiunt, vt continua vel interrupta cum vel fine delirio nafcatur fomnolentia. Haec caufa fi inualefcit, aut perfeuerat, poterit oriri congeftio, ftagnatio, effufio, maxime, fi faueat diathefis, aut febris mali moris fuerit.

Huc fpectat fopor periodicus — fopor malignarum — variolarum — & febris lentae neruofae.

Huc coma fomnolentum febris, quam defcripfit SYDENHAMVS. In febri quadam epidemica aegri quandoque ad aliquot feptimanas dormiebant, nonnifi validis clamoribus expergefacti, mox iterum in foporem relapfi, vnde febris comatofae nomen huic morbo impofuit. Primum fere morbi recedentis fignum erat, quod aegri in congruum aliquod cibi fiue potus genus flagitarent, quod & concedere folebat. An eandem agnofcit caufam febris comato-

fa

buit, conualefcere vifa. Die 20 Octobris pulfus citatior, fupprimitur fputum, ftupor, grunnitus, aluus morofa, inperfpirabilis cutis. Tandem ftupor maior, & fine mente. Grunnitus affidui, vrinae plerumque naturales & parcae. Die 24 periit. Refecta caluaria encephali vafa turgere, ventriculos vacuos, at infra cerebelli tentorium tres vncias feri cum modico virore flauefcentis continuit. Ibid. pag. 148.

ſa ab Hallero dicta, cuius breuem hiſtoriam expoſuit in opuſculis pathologicis?

Miaſma volatile.

Singulare, vti obſeruationes docent, febrium epidemicarum ingenium eſt: ab hoc pendent ſymptomata, quae conſtanter morbum popularem comitantur, & vario tempore varias partes adoriuntur. Hinc diuerſus eiusdem febris luſus, & decurſus.

Si itaque miaſma errabundi ingenii caput petit, producet delirium, ſtuporem, cephalalgiam, ſoporem, aliosue cerebri affectus nunc magis nunc minus ſignificantes, quos medicus ex cognitione dominantis epidemiae aptius, quam ex ipſo morbo diiudicabit.

Sordes in primis viis.

§. 4.

PRAEDICTIO.

Coma ex cauſis & febris ingenio aeſtimari debet: hinc varium inde augurium ducitur.

Verum, graue, & mox in principio febris acutae ſuperueniens grauiſſimum praeſagit morbum. Non ita in infantibus, pueris, quibus admodum familiare.

Hinc

Hinc frequens ſomnolentia ante variolarum eruptionem non mala.

Contra in ſcarlatinoſa febre ſopor perniciosſus. Stolle.

Mali ominis haberi debet in decurſu acutorum, vbi cum aliis malis ſignis coniungitur.

Sin oritur ab aluo diu ſuppreſſa, futura parotide, imminente exanthemate miliari, neutiquam ominoſus eſt.

Malus eſt, cum oculorum conniuentia, & palpebra pendente.

Sed cum deglutitione difficili, ſonora, impoſſibili in morbo non anginoſo ſaepe lethalis: notat enim metaſtaſin ad cerebrum. Stolle.

Delirio ſuperueniens interdum bonus, interdum malus eſt.

Bonus eſt, ſi delirium domat, & ſomnus placidus eſt: malus vero, ſi pulſus debilis, extrema frigida.

§. 5.

PRAENOTIONES HIPPOCRATIS.

Somnus vigilia, vtraque modum excedentia malum.

In acutis commotio, iactatio, ſomnus turbulentus conuulſionem aliquibus ſignificant.

Somni

Somni profundi neque turbulenti firmam crisin significant, turbulenti vero cum labore corporis incertam.

Vbi somnus delirium sedat, bonum.

Febres ex praecordiorum dolore malignae sunt, sopor in his pessimus.

§. 6.

CVRATIO.

Quum tam multae & diuersae causae hoc symptoma, etiam quoad faciem dissimile, generant, sponte patet, etiam diuersam medendi methodum indicari. Hinc causa ante per sua signa diligenter inuestiganda est, quam medicus aliquid decernat.

Generatim conueniunt ea, quae in delirio, cum vtraque affectio fere ab iisdem causis, sed diuersimode agentibus producatur.

Vti vero non omne delirium, ita nec omnis sopor peculiari artis auxilio oppugnari debet. Absurdum est in quouis comate irritamenta admouere.

Siquando cura symptomati huic adhiberi debet, ea a deriuantibus, reuellentibus, praeparantibus petenda est. *

§. 7.

* Peruigilium raro singularem medelam poscit; hinc consultius mihi visum est, illud vt & alia, quae STOLLEVS habet, symptomata transmittere.

§. 7.

COROLLARIA.

Qui ſopor nulla medicatione eget?

In qua ſpecie veſicatoria, in qua neruina, in qua cardiaca indicantur?

Qui ſopor ſibi permittendus eſt?

Ex quibus ſignis cognoſco ſoporem lethalem eſſe?

Cur adeo frequens in pueris?

Quid a ſopore timendum? Quinam abſolute lethalis? immedicabilis?

Quomodo ab eadem cauſa nunc delirium, nunc ſopor.

DIAR-

DIARRHOEA.

§. 1.

Copioſa & frequens alui deiectio vocatur Diarrhoea, vel alui fluxus.

Pro materie habet excrementa, humores inquilinos, illuuiem, ſanioſa, corrupta.

§. 2.

DIVISIO.

Variae alui fluxus ſpecies a medente diſtingui debent, quum detur

Symptomatica,
Critica,
Leuans,
Cruda,
Cocta,
Colliquatiua,
Inſcia, vel aegro inſcio excreta.

A materie vero, quae aluo excernitur, bilioſa, ſeroſa, mucoſa, cruenta, alba, ſplendens, carunculoſa.

§. 3.

Hinc liquet, multiplicem alui fluorem eſſe quoad materiem, cauſam, modum, effectus, euentum.

§. 4.

§. 4.

Si diu continuat fluxus: exhaurit, debilitat, laxat: hinc laxitas ſolidorum, iactura fluidorum, debilitas, animi defectio, tumores pedum, criſis impedimentum.

§. 5.

CAVSAE.

Plurimae ſunt cauſae, quae alui fluorem in febribus excitant; interim ſequentes prae ceteris notari merentur.

Illuuies varia.

Saburra, bilis, mucus, pituita, vel mole vel acritate moleſta contractilem valde tubum inteſtinalem ſtimulat, eiusque motum periſtalticum accelerat.

Oritur ab erroribus in diæta, & regimine commiſſis, a cauſa febris, ab ipſa febri.

Soluitur ſponte; melius & breuiori via artis vacuantis adminiculo.

Subinde tamen iſte alui fluxus tam copioſus & longus fit, vt reprimentia deſideret.

Neglecta emeſis in febrium initio.

Obſeruauit Sydenhamvs neglecta in principio febrium gaſtricarum emeſi ſuccedere longam, moleſtam,

leſtam, ominoſam diarrhoeam, quam, niſi immodica fuerit, ſecundum artis regulas, vel enemate, vel purgante adiuuare confert; noxiam; & ob fractas morbo vires periculoſam emetico ſuſtulit acutus naturae myſta SYDENHAMVS.

Decubitus.

Subito interdum materies cruda, cocta, acrior ad inteſtina fertur, & varium alui fluxum generat; idque non ſolum in febribus gaſtricis, ſimplicibus, complicatis, annuis, ſtationariis, ſed in inflammatoriis quoque obſeruatur. Eſt tunc prudentis medici, ſedulo perpendere, an diarrhoea haec ſymptomatica ſit, an critica; quo morbi tempore contingat, a qua inprimis cauſa oriatur? quale ſit epidemiae ingenium? quomodo aeger ferat?

Plerumque ſalutare molimen naturae eſt, cui obſiſtere non licet; cum inopportune & praecociter cohibita aegros in magnum diſcrimen coniicit. Subſequitur tumor, anxietas, dolor, inflammatio, delirium, ſopor, parotis. Sollicita attentione medicus poterit detegere, an proſit alui fluxus, nec ne. Bonus etiam immodicus eſſe poteſt, quem cohibere idoneis remediis non ſemper facile eſt.

Inflammatio.

Initio pleuritidis, peripneumoniae oritur ſubinde diarrhoea, quam damnat HIPPOCRATES, SY-

DENHAMVS, & experientia. A radiis inflammatoriis ad inteſtina conuerſis eius ortum deriuauit SYDENHAMVS; nec male, etſi veram ſymptomatis cauſam non declaret. Iuuat enim, quae inflammationi opponitur, venaeſectio. Si nihilominus continuat, malum praebet augurium. In quadam epidemia pleuritidis obſeruauit STOLLEVS primis morbi diebus alui fluxum, minime pernicioſum: An ſimplex & ſincera fuit thoracis inflammatio?

Diſſolutio humorum gangraena.

Si febres gaſtricae, putridae, malignae valde pernicioſae ſunt, oritur in vltima periodo diarrhoea foetita, ſanioſa, cruenta pene colliquatiua gangraenae & mortis nuncia. Pulſus, facies, extrema, venter, & excrementorum odor hanc alui fluxus cauſam euidenter produnt.

Mitior eſt, neque ſemper intercina, quae in febribus vere putridis * ex diſſolutione naſcitur, Diarrhoea. Eam compeſcit aut moderatur methodus antiſeptica, roborans, cui interdum vini rubri vſus & alia pro re nata efficaciter iunguntur.

Prae

* Veram & adaequatam febris putridae notionem hactenus deſideramus. Certe multas hoc nomine inſcriptas febres apud AA. legimus, quae falſo ita appellatas eſſe, ipſa enarratio, exitus, & medendi ratio docet.

Prae reliquis valet puluis aut decoctum radicis Arnicae.

Num etiam ſerum lactis aluminoſum?

Regimen, medicamenta.

Subinde alui fluxus a cauſis plane extrinſecis producitur, quas ideo a cauſis ipſius morbi diligenter diſcernere oportet; ne turpis in diagnoſi error medentem in contraria abducat.

Eiusmodi vero ſunt perfrigeratio repente admiſſa, potus frigidi, acidiuſculi, laxantes, eccoprotici; largior nitri vſus; a quibus non raro in corporibus peculiari idioſyncraſia donatis fluor alui excitari ſolet.

Haec igitur remoueri, perſpiratio vero ſuppreſſa calidis intus & extus adplicatis reuocari debet. Remedia, quae huic fini conſequendo inſeruiunt, ipſa febris deſignabit.

Inprimis haec diarrhoea obeſt in acutis pectoris morbis.

§. 6.

PRAEDICTIONES HIPPOCRATIS

In alui perturbationibus & vomitionibus ſponte obortis, ſiquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt; ſin minus, contra. Inſpicere ergo opertet & regionem, & anni

tempestatem, & aetatem, & morbos, in quibus oportet euacuari, vel non. Sect. II. Aph. 2.

Et quibus deiectiones, si residere permiseris, neque moueris, veluti ramenta subsident: & si pauca sunt, paruus est morbus: si multa, magnus.

Verum si alui excrementum liquidum est, expedit nec stridere, nec crebro & pauculum quid excerni - - si vero affatim saepe deiiciat, periculum est, ne in animi deliquium incidat. In Prog.

Oculorum rubedo in febre orta diuturnam alui malignitatem significat. In Coac.

Quibuscunque morbis incipientibus bilis atra sursum vel deorsum eruperit, letale.

In febre ardente aluus affatim erumpens, letale.

Valde aquosum, aut album, aut ex viridi flauescens, aut vehementer rubrum, aut spumosum deiicere, mala haec omnia.

Malum quoque est, & exiguum, & glutinosum, & album, & subpallidum - - - His autem magis letalia fuerint nigra, aut pinguia, aut liuida, aut mali odoris. In Prognost. *

§. 7.

* Omisi aliqua, quae v ra non sunt, etsi & in his quaedam valde limitari debent v. g. mali odoris - glutinosum - flauescens.

§. 7.

CVRATIO.

In curatione prius inueſtiganda eſt cauſa ſingularis, vnde alui fluor ortum ducit; dein applicanda ſunt ea, quibus acre leniri, irritatio mitigari, ſtimulus ſubduci, vel aliorſum determinari queat.

Ex effectu & cognito epidemiae ingenio agendorum ratio ſumitur.

Nimia, vbicunque incidat, ſi modo aliqua ſalutis ſpes affulget, ſiſti debet. At id difficulter, quandoque, & cum periculo, praeſtari, ſciendum eſt.

Primo igitur omnium inquirendum eſt, an Diarrhoea tollenda ſit, nec ne?

2do. Quibus hoc remediis efficiendum?

Pro diuerſitate cauſarum, febrium, & modi, quo fluxus hic peccat, diuerſa etiam methodus requiritur.

Conueniunt in genere.

Lenientia, quae acrimoniam diluunt, obuoluunt, inuiſcant, cui indicationi maxime inſeruiunt decocta mucilaginoſa ex hordeo, auena, ſago, althaea, lacte. Exemplum praebet cholera * dyſenteria,

* Conferatur SYDENHAM de cholera. — TISSOTVS Avis au peuple de eodem morbo.

teria, diarrhoea ſymptomatica ſcarlatinae, morbillorum. His ſolis tamen raro fidendum eſſe, obſeruatio docet.

Euacuantia. Saburralem, aut a ſordibus natam, non lenientia, ſed euacuantia tollunt. Hinc purgatio vel emeſis ſola in hac diarrhoeae ſpecie ſanationem abſoluunt. Quaenam vero praeferri debent tempus, obſeruatio, & ingenium morbi indicabunt * In ancipiti caſu medici ſagacitas conſilium dabit. ** Euacuantia autem tantúm locum habent, ſi firma & ſana viſcera ſint, humores non liquefacti, viresque id permittant. Verbo, quando ſpes eſt, materiam irritantem & noxiam ſic expelli poſſe.

Conueniunt autem cathartica leniora, mannata, rhabarbarina aliis coindicatis mixta, caute, & refracta doſi exhibita.

Ex emeticis quibusdam lenior ipecacuanha, aliis tartarus emeticus laudatur. Ambo locum habere poſſunt, vt neutri parti adhaereamus: Tutior tamen ipecacuanha eſt.

Ad-

* Pulchre de ſeriori vſu euacuantium diſputauit BRENDELIVS.

** Ad ancipites caſus pertinet diarrhoea illa, quam in febre pituitoſa obſeruauit STOLLEVS P. 2. R. M. pluribus funeſtam, aegre ſiſtendam; cur huius non meminerit in aphoriſmis, non capio.

Adstringentia. Solummodo conueniunt, vbi vel humores nimio impetu ad inteſtina propelluntur, vel ea copia & frequentia ex ano effunduntur, vt vires vitae inde proſternantur.

Symptomatica igitur, debilitans, nimia hoc remedii genus poſtulat; at neceſſe eſt, vt medicus omni ſtudio & opera adhibita ſe certum reddat, intempeſtiuum, nimium, & ideo cohibendum eſſe alui fluxum.

Praecox eius compreſſio peſſima, vt vidi, mala producere poteſt. *

Varia hunc in finem ab auctoribus commendantur, nec, vt reor, eadem in quouis nimio fluxu conueniunt. Probatiora recenſebo, quorum ſingula ad lectulum aegri ſeligenda: Reprimunt quippe alui fluxum decoctum radicis Arnicae, Lig. Campechenſe, Laudanum liquidum SYDENHAMI, opium, Diaſcordium, Rad. Columbae; Clyſteres ex theriaca cum lacte, & farinoſis.

Opium, Diaſcordium, etſi a magnis viris datum, & vt nullus dubito, in quibusdam caſibus profuturum, caute & raro vſurpandum eſſe, dictitat ſana ratio.

* Idem notauit STÖRKIVS Ann. med. GRANT de febribus.

Dispellentia, quae humores maiori velocitate ad intestina fluentes aliorsum detarminant, felici quandoque euentu diarrhoeam sanant. Simplex alui fluor, Dysenteria * datis sudoriferis debellata legitur. Solo stragulorum pondere sudorem exprimendo, sistebat vomitum & diarrhoeam in peste SYDENHAMVS. Eadem de causa opem subinde tulit venaesectio in diarrhoea symptomatica, quae accidit hominibus aetate florentibus, plethoricis, inflammatis.

Hinc patet, in quo febris & alui fluxus genere haec methodus conueniat.

SPAS-

* SYDENHAMVS de Dysenteria. - STOLLE R. M. T. 3. de Dysenteria.

SPASMVS ET CONVVLSIO.

§. 1.

Violenta, inuita, inordinata fibrarum muſcularium actio ſpaſmus dicitur: Muſculorum autem, inprimis artuum, vehemens & inuita contractio conuulſio audit.

Spaſmus igitur, ſenſu nunc inter medicos vulgari, magis affectio eſt villorum aut partium muſculoſorum, quae ipſa etiam viſcera & vaſa frequentiſſime occupat. Conuulſionis autem nomine rectius intelliguntur violentae quaeuis muſculorum voluntariorum contractiones.

§. 2.

DIVISIO.

Spaſmorum vti & conuulſionum multiplex in febribus differentia obſeruatur, dantur enim

1. Idiopathicae.
2. Sympathicae.
3. Symptomaticae.
4. Criticae. *
5. Vniuerſales, vel particulares v. g. artuum ſuperiorum, inferiorum, vnius brachii, dimidii lateris &c.
6. Epilepticae.

Annot.

* Qualem bis obſeruauit Clariſſ. P-

Annot. Alias ſpaſmorum differentias, vt lentorum, coarctantium, inflantium, quod medenti nihil indicationis praebeant, rectius omitti cenſeo. Inutilis quoque diuiſio eſt conuulſionum in tonicas & clonicas. *

§. 3.

SPECIES.

Subſultus tendinum,

Tremor manuum, brachiorum, totius corporis.

Conuulſio artuum — linguae.

Tetanus.

Spaſmus cynicus.

Triſmus.

Singultus.

Stridor dentium.

§. 4.

CAVSAE.

Eadem cauſa, quae producit delirium, peruigilium, dolorem, inflammationem ſiue aucta, ſiue neruis propius applicata ſpaſmos & conuulſiones creat, maxime, ſi corpus fuerit irritabile, iuuenile, aut a praegreſſis erroribus debilitatum.

Hippocrates, quem plurimi Auctores practici nimis

* Gavb. Pathologia de Spaſmis & Conuulſionibus.

nimis pie ſequuntur, duas omnino conuulſionis ſcaturigines ponit, nimiam repletionem, & euacuationem. Vltima manifeſta eſt; de priori merito dubitandum; ſaltem explicatio ab Auctoribus data non omnibus arridet.* Recenſebo illas, quae obſeruatori manifeſta, & medicum in medendo regere queant.

Sordes in primis viis.

Iam GALENVS obſeruauit, quosdam homines in febribus repente conuulſione prehendi, qui illico liberabantur, quum bilioſo ſuperueniente vomitu ſtimulus eliminatus fuerat.

Vidit STOLLEVS plures febre bilioſa affectos conuulſionibus tentari, quas vomitus aut ſpontaneus, aut arte excitatus breui tempore compeſcuit.

Caput dolentes, ait HIPPOCRATES, cum calore delirantes, intercepta aluo, toruis oculis, facie florida, opiſthotono corripiuntur. Prorrhet. L. 1. Quae magis indicant ſordes in primis viis, quam diſtenſionem in vaſis ſanguineis capitis, & praeſentiam plethorae nimiae.**

Miaſma

* Hinc orta eſt doctrina conuulſionis a plethora.

** Ita opinabatur SVITENVS; rectius vero cenſuit ex eodem HIPPOCRATE STOLLE & BRENDEL. Rat. med. P. 2.

Miaſma acre volatile.

Hinc intelligitur cauſa conuulſionum in variolis, morbillis, febribus petechialibus, malignis, quas SYDENHAMVS, TISSOTVS, HVXHAMVS, aliique obſeruarunt. Atque hoc conuulſionum genus eſt, cui neruina & camphora tam pulchre ſubueniunt.

Molimen criticum.

Materies morbi acrior ſoluta & mobilis reddita dum exitum ambit, varios excitat ſpaſmos, neruorum affectus, conuulſiones, pro varia temperiei & morbi conditione. Quae igitur naturae molimina probe diſtinquere oportet, ne contrariis & intempeſtiuis auxiliis naturam a recto tramite abducamus. Huc pertinet conuulſio ante eruptionem variolarum, vomitum criticum, metaſtaſin ad axillas, crura, vel alias partes externas.

Metaſtaſis.

Peſſimi ominis vero ſunt ſpaſmi & conuulſiones, quae ex translata ad cerebrum materie ortum ducunt. Hoc fieri noſcitur plerumque ex ſymptomatibus, quae hanc pernicioſam materiae depoſitionem comitantur. Saepe effectus eſt calefacientis methodi, aut regiminis; ſaepe oritur a refrigerio, ſaepe a peruerſa medicatione. Numeroſa huius cauſae exempla in obſeruatoribus proſtant. Aliqua ipſe

vidi.

vidi. Caue tamen ne confenfuales pro idiopathicis habeas.

Inflammatio cerebri.

Si ea fuerit vel morbi, vel ftimuli morbofi ad cerebrum translati natura, vt vafis impacta inflammationem producat, facile patet, non folum alia inde nafci debere fymptomata, fed aliam quoque medendi methodum requiri. Difficillima autem huius caufae cognitio eft, quum infallibilia inflammati cerebri figna in multis certe cafibus deficerentur, quaeque ab Auctoribus in febribus ftatuuntur tefte Stolleo * & propria experientia in phreniticis frequenter defuerint.

Inflammationes vifcerum abdominalium.

Maximum inter vifcera, caput, & alias partes confenfum effe, docet phyfiologia, & cadauerum ex febre conuulforum contemplatio. Inflammato diaphragmate rifum fardonium obferuauit Haenivs. Spafmos frequentiffime, conuulfiones non raro febris biliofa comites habet, vbi poft mortem fectio vifcerum inflammationes detexit. Num inflammatio, num acrior bilis & faburra inflammationis genitrix diftenfionum caufa fit, determinare non aufim.

Eua-

* Abfoluta & lectu digniffima eft Cel. Stollei difputatio de Phrenitide T. 3. R. M.

Euacuationes immodicae.

Aluo vel ſanguine immodice fluente conuulſiones oriri notum eſt. Quum vero etiam in febribus eiusmodi profluuia contingant, manifeſtum eſt, nouas inde conuulſiones nonniſi illis remediis componi poſſe, quae nimios humorum fluxus ſiſtunt, aut coercent.

Hinc abortus in variolis, & febribus gaſtricis, putridis - haemorrhagiae narium, vteri - venaeſectiones profuſae - largiſſimae deiectiones graues inducere conuulſiones viſae ſunt, ſaepe letales.

§. 5.

PRAESAGIA.

Prognoſis varia eſt pro natura, magnitudine, numero, varietate cauſarum, a quibus conuulſio producitur.

Tremor manus ab adſtante inſcio aegro in febre acuta adprehenſae valde malus.

Malus item tremor linguae, dum eam exporrigere aeger iubetur.

Ab euacuatione nimia vel debilitate natus minus periculi habet.

Conuulſio, quae inſtante iudicatione hypochondriacos & hyſtericas inuadit & exercet, quin alia mala ſigna adſint, periculo caret.

Si

Si in febre valde acuta post euacuationes magnas conuulsio sequitur, malum.

Conuulsio tendinum subsultui, delirio, comati superueniens pessima.

Lethalis vero, quae in morbi apice inter signa cerebri inflammati oritur.

Si retrogresso exanthemate conuulsio sequitur, desperatus aeger est, nisi illud denuo & cito prodeat.

Ante eruptionem variolarum orta plerumque boni augurii.

Si post vrinam crassam prius emissam mox aquosa pellucida mingitur, dein conuulsio sequitur, perniciosum.

Conuulsio vehemens cum delirio perpetuo & feroci pessima.

§. 6.

PRAEDICTIONES HIPPOCRATIS.

Conuulsio in febre nata, eodem die desinens bonum.

Conuulsio in febre nata sedat febrim eodem die, aut postero, aut tertio. Si vero tempus, in quo incipit, transgreditur, et non desinat, malum est.

Conuulsio in febribus perniciosa est, minime vero pueris.

In conuulsionibus vocis interceptio diu durans mala est.

Soluitur autem vrinis multis aceruatis derepente prodeuntibus.

Sudores autem paulatim oborientes prosunt — aceruati vero laedunt.

In distentionibus & ante & retro contingentibus, si maxillae soluantur, lethale.

Febriles in dorsum distensiones vrinae geniturae similes soluunt.

Si a febre detento collum derepente inuersum fuerit, & vix deglutire possit, tumore non existente, lethale. S. 4. Aph. 35.

§. 7.

COROLLARIA.

Cur post vrinas tenues, pallidas, aquosas metuendum delirium est, aut conuulsio?

Cur mala conuulsio, quae delirio superuenit, & quando?

Cur validissimae aliquando conuulsiones plus terroris quam periculi habent, dum in aliis tremores tam periculosi sunt?

An criticae semper tutae?

Ex quibus signis colligi potest, idiopathicas esse conuulsiones, aut consensuales?

Quando consensuales etiam damnandae sunt?

§. 8.

§. 8.

CVRATIO.

Quum diuersae imo & oppositae omnino causa: febriles spasmos & conuulsiones producant, necessarium est; illas sedulo inuestigare, vt cognitae distencionis causae debita medela applicetur. Nullum enim datur remedium, quod vbique conueniat. Antispasmodicorum vsus subinde inutilis, saepe damnosus est. Adhaec dantur conuulsiones in longum excurrentes, quas indirecte modo oppugnare licet; dantur aliae, quarum causa a medico vtut sagaci determinari nequit. Hinc medicus in biuio constitutus sollicite attendere debet, ne mala arte aegrum pessumdet, vel morbum aggrauet. *

In genere prosunt illa, quibus acre lenitur, mobile redditur, vel eliminatur; unde diluentia, laxantia, reuellentia, euacuantia in multis casibus cum fructu adhibentur.

Diluentia ex emollientibus herbis parata; emulsa farinosa, oleosa; tepida, frigida.

Victus ex hordeo, auena.

His quippe acrimonia eneruatur, vasa laxantur, vrinae & sudori vehiculum praebetur, vt commode per has vias materia morbosa exire possit.

Laxantia si solida valde tensa sunt, aut inflam-

* Exemplum erudiens offert Richter über die Fieber p. 80. — p. 246. — p. 254.

mationis metus habetur, conducunt ea, quae tenſionem relaxando tollunt, vt

a. Fotus, epithemata, pediluuia, ſemicupia.

b. Potus tepidi, mucilaginoſi.

c. Inunctio.

Reuellentia. Quae impetum & copiam humorum a capite vel aliis partibus deriuant, vt

a. Balnea pedum vel fotus.

b. Epiſpaſtica.

c. Fricatio lenis.

d. Veſicatoria.

e. Clyſmata ſaepius applicata.

Euacuantia, quae tum ſolum indicantur, vb per ſigna conſtat, turgentem in primis viis illuuiem conuulſionis cauſam eſſe. v. g. in febre gaſtrica, bilioſa, in febre cum vermibus complicata.

Sed in his exhibendis id obſeruandum eſt, 1mo vt materies ſatis diluta ſit & mobilis. 2do. vt blandis duntaxat pharmacis & praeſenti morbo accommodis euacuatio ſollicitetur. Exemplum felicis eiusmodi ſanationis ſuppeditauit STOLLE. *

Sedan-

* Rat. medendi P. II. & III. capit. de phrenitide.

Sedantia in quibusdam caſibus locum habent, commendat LINDIVS, adhibuit GRANTIVS, HVXHAMVS; ſed magna cautela opus eſt. Ab opio & narcotico in vehementi febre praeprimis abſtinendum, quum & alia benignioris ingenii nocuiſſe viſa ſint. Cauſa igitur & opportunitas ſola indicationem ſuppeditant. Eam dignoſcere exercitati magiſtri eſt.

HAEMORRHAGIA NARIVM.

§. 1.

Largum ſanguinis e naribus profluuium in febribus diuerſi generis non ſolum frequenter ſuperuenit, ſed etiam peculiarem non raro curam poſtulat.

§. 2.

DIVISIO.

Symptomatica.
Conſenſualis.
Critica.
Stillans; ſtillicidium.
Immodica.

§. 3.

CAVSAE.

1. Impetus ſanguinis ad Caput, Congeſtio.
2. Conſenſus - ſpaſmus.
3. Diſſolutio ſanguinis.
4. Epidemiae ingenium.
5. Vis naturae medicatrix.

§. 4.

PRAEDICTIONES HIPPOCRATIS.

Sonitus aurium cum viſus hebetudine & narium grauedine mentem emouet, & ſanguinem profundit.

Qui-

Quibus ſurditas cum capitis grauitate & praecordii intenſione, & ad ſplendorem turbatio, ſanguinem profundunt.

Vndecima die contingentes ſanguinis ſtillationes difficiles ſunt.

In ſanguinis fluxione multa aut ſingultus, aut conuulſio mala eſt.

Capite grauati, iuxta ſincipur dolentes, peruigiles ſanguinem effundunt, tum alias, tum ſiquid in ceruicem contendat.

Ceruicis dolores, valde rubri oculi, ſanguinis eruptiones ſignificant.

Febricitantibus, quibus quidem rubores in facie, & capitis dolor fortis, & venarum pulſus, his ſanguinis fluxio plerumque contingit.

Quibus vero in huiusmodi febre caput dolentibus, pro tenebris ante oculos apparentibus viſus hebetudo contingit, vel ſplendores obſeruantur, & pro oris ventriculi morſu in hypochondrio ſiue ad dextra, ſiue ad ſiniſtra aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione illis pro vomitu ſanguinem de naribus fluxurum expectandum eſt, magis autem iuuenibus trigeſimum vero annum, vel & ſenioribus, minus, ſed his vomitiones exſpectandae.

Qui caput dolent, ſtupore detenti, doloroſi, oculum rubicundum habentes, ſanguinem effundunt.

Sanguinis ſtillae puſillae malum.

§. 5.

CVRATIO.

Salutaris, critica etſi largior fuerit, non praepoſtere ſupprimenda eſt. Tantum illa, quae modum excedit, & vires vitae labefactat, cohiberi debet.

Magnam ſanguinis iacturam aliqui, vti hiſtoria medica docet, impune tulerunt. Quapropter cautela, & diligenti omnium circumſtantiarum perpenſatione opus eſt, ne vel remerario auſu, vel coeco obſequio impulſi vim naturae inferamus, eiusque motus ſalutares perturbemus. Si vero intendatur ſanguinis e naribus fluxus eo vſque, vt vaſa collabantur, extrema palleant, pulſus debilis, paruus, intermittens fiat, tunc illico fraenum iniiciendum eſt. Huic vſui inſeruiunt

a. Refrigerantia externa, interna.

b. Pediluuia.

c. Epithemata ad frontem.

d. Solutio vitrioli albi in aqua roſarum naribus attracta.

e. Adplicatio cucurbitae ad nucham.

f) Affuſio frigidae, gelidae. *

STA-

* Suadent aliqui ligaturam - ſed parum inde exſpectandum eſſe reor.

STATVS NERVOSVS.

§. 1.

Symptomata peculiaria, ſaepe grauia, imo terribilia ab affecto ſyſtemate nerueo vnice oriunda producunt illum febris ſtatum, quem Stollevs nuper neruoſum, Angli febrem neruoſam appellant.

Non qnidem inter ſymptomata febrilia apte collocatur, quum non tam morbi quam aegri maiore irritabilitate donati effectus ſit; recipi tamen eatenus poteſt, quod in febrientibus non raro occurrat, & niſi bene agnoſcatur, grauibus in medendo erroribus anſam ſuppeditet.

§. 2.

Symptomata vero, quae hunc ſtatum denotant, ſunt

Tremores ſingularum partium,

Exigui & euanidi ſpaſmi muſculorum magis irritabilium, *

Frigora extremorum.

Clangor inſolitus, meticuloſus, ſine cauſa manifeſta.

Varia animi pathemata; inprimis meticuloſitas,

* Cl. Prof. Senft in ſuis inſtitutionibus phyſiologicis partim obſeruatione, partim ratione inductus ſtatuit, dari muſculos ex eadem functionum claſſe, quibus maior irritabilitatis gradus, a natura inditus ſit; hosque ideo in morbis prae reliquis affici & peruerti.

tas, triſtitia, mira animi irritabilitas, deiectio &c. &c.

Tendinum ſubſultus.

Expaueſcentia tremula.

Pulſuum & caloris perpetua viciſſitudo. *

Phantaſiae.

Obliuio.

Senſuum externorum, maxime viſus & olfactus variae deprauationes. **

§. 3.

Cauſa huius ſtatus neruoſi duplex eſt.

1mo praediſponens, quae cardinalis: excedens quippe

* Hoc ſymptoma videtur caracteriſticum eſſe in febre lenta neruoſa.

** Etiam TISSOTVS in malignis. Avis au peuple. STOLLEVS multa alia ſymptomata, vt delirium multiplex, riſum, ploratum, conuulſiones, per vices, vniuerſales, partiales, temporarias, opiſthotonum, paralyſes, ſemiparalyſes, aphonias cito euanidas ſtatui neruoſo annumerat, ſed, quantum ego ſentio, non bene. Nam plurima horum, etſi a neruis affectis & turbatis proficiſcantur, tamen non mobilitati morbidae, ſed irritationi duntaxat validiori rectius attribuuntur; docetque rerum vſus, in qualibet febri & aegroto febri peracuta implicito haec ſaepiſſime deprehendi; alia vero, vt paralyſes, opiſthotonum ſtupores, conuulſiones vniuerſales nonniſi a cauſis violentis, vel a metaſtaſi ad neruos produci, ideoque alius plane originis eſſe.

quippe mobilitas ſyſtematis neruoſi. Haec plerumque ſola caracterem febris, vt aiunt, neruoſae conſtituit, quum idem ſtimulus in alio ſed vegeto & non mobili alium magisque regularem & ſimplicem morbum producat.

2do. Occaſionalis, quae tum ſolum verae cauſae locum habere videtur, ſicubi propria ſtimuli febrilis natura ſpaſmodica fuerit, vt neruos prae ceteris partibus magis obſideat, eorumque functiones turbet, quod rarius contingit, & forte in quibusdam duntaxat malignis admitti poteſt. *

§. 4.

Duplex ſtatus neruoſi genus datur: alter verus eſt, alter ſpurius. Verus, vbi mobilitas a debilitate nata ſcaturigo eſt ſymptomatum. ex quibus hunc ſtatum adeſſe cognoſcimus. Spurius, vbi non tam mobilitas, quam irritationis vehementia ſymptomata neruoſa gignit. Neglectu iſtius diſtinctionis contigit, vt paſſim apud Auctores & medicos omnis morbus pro morbo aut febri neruoſa habeatur, vbi ſpaſmi, ſpaſmodica phaenomena, dolores, conuulſiones, torpores, debilitas obſeruantur.

Dari

* Superueniens febris ait Stölle qualiscunque, vndecunque nata inſtar ſtimuli peregrini agit vices ſupplens cauſae occaſionalis.

Dari mobilitatem cum nimia fibrarum tenſione non equidem inficias eo, ſed eam tamen a priori multum diſcrepare; atque ſi omnia rite expendantur, proprium, vel intermedium genus conſtituere, neque a genuina mobilitate deriuari, inueſtigando patebit.

§. 5.

Febres cum ſtatu neruoſo complicatae, ex omnium, inprimis Hvxhami, obſeruatione, qui accurate de hoc morbo ſcripſit, in ciuitatibus, tempore humido frigido — * & apud ſexum femineum frequentius occurſant.

§. 6.

CVRA.

In vero ſtatu neruoſo requiruntur neruina, cardiaca, roborantia, ita tamen, vt princeps cura habeatur febris, cum qua coniunctus eſt. A praecoci aut intempeſtiuo eiusmodi remediorum vſu ſpecies factitiae malignitatis producitur, & aeger ſum-

mum

* Memini me in Collegiis pathologicis audiuiſſe, poſt tacita & ſuppreſſa animi pathemata nihil aeque neruis inimicum eſſe, quam aerem humidum frigidum: Hinc vere mobiles ſenſiliſſima eſſe huius tempeſtatis hygroſcopia. ſimulque oſtendebatur analogia aetheris neruoſi cum materia electrica.

mum incurrit periculum. Difficile eſt practicas dare regulas. Soli medendum exceſſui, & debilitati coctionem vel criſin impedienti. Hanc normam qui ſequitur, raro errabit. A malignitate ſtatus neruoſus plurimum diſcrepat: hinc diuerſa etiam medendi methodus in vtraque vſum habet.

COROL-

COROLLARIA
EX
VNIVERSA MEDICINA.

I. Rationalis & solida praxis sine theoria bene culta neque subsistere, neque sine aegri discrimine exerceri potest.

II. Hinc famae suae male consulunt, qui bonum theoreticum a practico medico quam maxime diuersum esse, clamant.

III. Natura inflammationis neque in obstructione vasorum, neque vt alii volunt, in effusione sanguinis, sed verius in irritatione vasorum, partiumque sensibilium ponenda est.

IV. Vnde liquido patet, quam nociuus & periculosus omnium irritantium v. g. purgantium, emeticorum, sudoriferorum in hoc statu usus sit.

V. Indicato emetico nunquam purgans exhibendum est.

VI. Vesicatorica — Emetica — Venae sectiones vtut debilitatem tollant, cardiaca dici non possunt, hinc iure merito ex horum classe sunt eiicienda.

VII. Tussi non semper apparatus emolliens & pectoralis conuenit.

VIII. Venae sectio in rheumatismo non raro principem locum obtinet.

IX.

XI. Datur Pleuritis, cui emeticum & veſicatorium opem fert.

X. Errant, qui in omnibus febribus gaſtricis, bilioſis, ſaburralibus dies criticos, & ſuccedentem criſin exſpectant.

XI. Malignitas febris non ex ſymptomatibus ſolum, ſed ex alio fonte erui debet.

XII. Hinc valde errant, qui ex grauibus ſymptomatibus, vti a pulſu debili, exili, valde frequenti, ex ſubita proſtratione virium, aut alienis morbo accedentibus, & valde periculoſis morbum malignum denuntiari ſtatuunt.

XIII. Optimum febrium intermittentium antidotum eſt cortex peruuianus.

XIV. Datur quidem phrenitis vera, ſed ea rara.

XV. Ad tollendam epilepſiam, cauſa, quae illam producit, indagari debet.

XVI. Cauſae vero idiopathicae infeſtum hunc morbum producentes nullam radicalem curam admittunt.

XVII. In diarrhaea aromata, fomenta, emplaſtra, inunctiones aromaticae ſaepe grauiter nocent.

XVIII. Cardialgia in hyſtericis orta, a malo hyſterico nunquam repetenda.

XIX. Paracentheſis in Hydrope quandoque optimum remedium eſt.

XX. Multae febres intermittentes ſine Cortice peruuiano curari poſſunt.

XXI. Quandoque venae ſectio in febre intermittente bene inſtituitur.

XXII. Verna & autumnalis multum diſcrepant; ſed magis in Cura.

XXIII. Febris lactea diſcerni debet a febre puerperali.

XXIV. Melius & verius vinum inter nobiliora cardiaca ponendum.

XXV. Axioma, quod ſapit, nutrit, ſaepe verum eſt, ſaepe etiam falſum.

XXVI. An Caffeae potationi debilior noſtri aeui hominum ſanitas tribui debeat, nondum euictum.

XXVII. Datur hydrops, qui melius catharticis, quam diureticis cedit.

XXVIII. Inflammatio datur reſolubilis, datur alia, quae reſolui non poteſt.

XXIX. A bile ſemper Eryſipelas oriri, probabile non eſt.